



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

Fargna, Francesco de

Romæ, MDCCXVIII

Casus III. Argumentum. Simoniam committit, qui convenit cum Patrono, se aucturum dotem Beneficii, dummodo ad illud præsentetur, secus autem si solùm supplicet pro præsentatione sui ipsius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72203)

viter erigendi; Unde cum pactum, ut Cajus reficeret expensas litis agitate pro erectione Canonici à Capitulo non sit pactum faciens necessarium, quod erat voluntarium, sed sit pactum propalans debitum necessarium ejusdem Caji super Canonatu erigendo, per regul. *Text. in cap. ut praterita 45. de election.* quam opinionem tenuit etiam Sacra Congregatio Concilii in *Meliten. expensarum 3. Martii 1686.* sequitur, quod pactum supradictum non sit simoniacum, & consequenter Canonici, & Cajus non indigent absolutio- ne, nec Cajus privari debet Canonatu.

- 2 Sicuti pacta, quibus quis presentatur à Patrono, ut teneatur jura Beneficii tueri, & scripturas recuperare, aut teneatur alere ipsum Patronum, & ei dare alimenta in casu inopiæ, aut aliquid contribuere pro reparatione Ecclesiæ Patronalis, vel in hujus utilitatem non sunt simoniaca. Ratio est, quia Canonicus, aut Beneficiatus renetur de jure communi defendere jura Canoniciatus, & Beneficii, alere Patronum egenum, reparare Ecclesiam, ut dixi *Par. I. Can. IV. Cas. X. num. 1.*, & conditiones, quæ de jure insunt, non inducunt simoniam, juxta *glos. in cap. significasti de elect. verb. Conditione, ibique Anan. num. 1. Abb. num. 6. Butr. num. 5. Fagnan. in cap. tua nos de simonia num. 16. Rota decis. 137. num. 1. post Consl. Criminal. Farinac. tom. 1.* Eò magis, quia supradictum pactum fuit approbatum ab Episcopo, ideoque potuerunt Partes per bonam fidem in Episcopo evitare omnem culpam, & poenam, & si per ignorantiam simoniacè contraxissent, cum regula sit evitari omnem culpam, & poenam ex actu ignoranter peracto, quatenus ignorantia sit probabilis ex justa causa, præsertim sub fide alicujus viri docti, ut notat *Par. normitan. in cap. Apostolica num. 2. de Cleric. excommunicat., ibique Gonzal. nu. 5., & juxta Text. in cap. ut anima num. 2. de constit. in 6.*

- 4 Et prodest regula, quod omnis poena, præsertim privationis, excusatur per quamcumque ignorantiam probabilem, ubi abest dolus, ut in *l. 42. ff. de penis, cap. in penis de regul. jur. in 6. Rot. decis. 473. coram Puteo, & decis. 110. num. 21. coram Ottobono.*

Et ita fuit resolutum à Sacra Congre-

gatione Concilii in una *Civitat. Plebis prætense Simonia 7. Julii 1696.*, quam resolutionem post hæc scripta inveni relata à *Bertacchin. vot. decisiv. 114. n. 5.*

ARGUMENTUM.

Simoniam committit, qui convenit cum Patrono, se aucturum dotem Beneficii, dummodo ad illud presentetur, secus autem si solum supplicet pro presentatione sui ipsius.

SUMMARIUM.

- 1 In augmento dotis, seu in redotatione Beneficii potest deduci in pactum jus patronatus activum absque simonia, secus jus patronatus passivum favore redotantis, & quare? Vide num. 4.
- 2 Dum presentatur quis ad Beneficium potest augere dotem illius absque simonia; sed intellige, ut num. 5.
- 3 Augens dotem Beneficii cum pacto, & conditione, ut ad illud presentetur, committit simoniam.
- 6 Augens dotem Beneficii potest rogare Patronum, ut eum presentet absque labe simonia, si sit dignus, secus si sit indignus? & num. 7.

CASUS III.

VAcante Beneficio de Jurepatronatus, cum ejus fructus essent valde diminuti; Titius convenit cum Patrono se aucturum dotem mediante assignatione cujusdam vineæ, dummodo ad illud presentetur, in cujus conventionis, seu pacti executionem de facto idem Titius auxit dotem Beneficii, & correspondivè presentatus fuit à Patrono. Quæritur an hujusmodi conventio, aut presentatio sit simoniaca?

- 1 Respondendum videtur negativè; potest enim quis augere dotem, seu redotare Beneficium cum pacto, & conventionem acquirendi Juspatronatus activum absque labe simoniæ, juxta *Can. III.* de quo *Par. I.* dummodo concurrant requisita, de quibus ibi *Cas. X. num. 3. & seqq.* Ita etiam poterit quis augere dotem, & redotare Beneficium cum pacto, & conventionem acquirendi Juspatronatus passivum favore sui, seu jus, ut presentetur à Patrono ad illud, nec hujusmodi pactum, seu conventio

ventio erit simoniaca. Non minus namque est quid spirituale, aut spirituali annexum Juspatronatus activum, quam sit passivum; Si igitur ex redotatione Beneficii acquiri potest Juspatronatus activum, & hoc in eadem redotatione deduci in pactum, & conventionem absque simonia; Poterit etiam ex eadem redotatione acquiri Juspatronatus passivum, & in ipsa deduci in pactum, & conventionem, absque eo, quod conventio hæc sit simoniaca. Ratio est, quia potest quis tempore receptionis spiritualium, & dum præsentetur ad Beneficium dare aliquid temporale, & augere dotem illius absque simonia, *Abb. in cap. tua nos de simon. n. 4., Gonzal. num. 2.*

3 At hoc non obstante censeo augere dotem, seu redotare Beneficium, sive Ecclesiam cum pacto, & conditione, ut redotans ad illud præsentetur si non interveniat Beneplacitum Apostolicum, etiam si adsit consensus Episcopi, esse simoniacum, dum habemus *Textum literalem in cap. tua nos de simon.* per quem canonizatur pro simoniaca conventio illa, qua traduntur bona alicui Ecclesie, aut Beneficium, ut postmodum tradens illud obtineat, & ad illud præsentetur, aut admittatur ibi -- *Tua nos duxit discretio consulendos &c. discretioni tue taliter respondemus, quod si quis Clericus cum conditione, vel pacto largiatur, aut offerat bona sua, ut illa postmodum pro præbenda retineat, & in Canonicum admittatur, hujusmodi oblatio, vel receptio fieri non poterit sine vitio simoniae, cum in talibus omnis pactio, aut conventio cessare debet, juxta Canonicas sanctiones -- ibique Abbas nu. 1., Fagnan. nu. 3. cum plurib. seqq. Barbof. num. 1., & ita fuit resolutum à Sacra Congregatione Concilii in Alexandrina augmenti dotis Canonizatus 12. Aprilis 1687.*

4 Non obstat, quod ex augmento dotis, seu ex redotatione Beneficii, concurrentibus debitis requisitis, acquiri possit Juspatronatus activum, & hoc deduci in pactum, & conventionem in ipsa redotatione absque simonia; quia acquirere Juspatronatus ex redotatione, est dispositio juris communis, & est conditio, quæ de jure insit, nisi expressè, vel tacitè remittatur, juxta *Can. III.*, de quo *Par. I.*, at acquirere Juspatronatus passi-

vum ex augmento dotis, aut redotationis Beneficii favore redotantis non est dispositio juris, immo hæc reprobatur à jure, ut *in d. cap. tua nos*; Unde non mirum, si deducere in pactum, & conventionem in redotatione Beneficii Juspatronatus activum non sit simoniacum, secus deducere in pactum Juspatronatus passivum favore redotantis, cum deducere in pactum dispositionem juris communis, & ea, quæ de jure insunt, non inducat simoniam, juxta auctoritates superius relatas *Cas. II. num. 2. & seq.*

5 Nec adversatur, quod quis dum præsentatur, possit augere dotem Beneficii, eique conferre bona propria absque simonia; Hoc enim est verum saltè quoad simoniam conventionalem, aut realem, quidquid sit de mentali, si augeat dotem Beneficii, & det illa bona purè, & simpliciter sine pacto, secus si det illa cum pacto, & conditione, ut præsentetur. *Abb. in cap. tua nos de simon. num. 1. & 4., ibique Gonzal. num. 2.* quia licet augere dotem Beneficii, aut Ecclesie sit valde bonum, & honestum, ac laudabile secundum se, tamen si deducatur ad pactum, & conventionem, est inhonestum, & simoniacum, juxta *Mohedan. decis. 1. num. 7. de simon.*, *Tondut. quest. Benefic. par. 3. cap. 160. n. 5. tom. 2.*

6 Potest tamen absque labe simoniae ille, qui vult augere dotem Beneficii de Jurepatronatus rogare Patronum, ut eum præsentet, dummodo sit dignus, & si præsentatio sequatur, non est simoniaca. Ratio est, quia humiles preces emissa à digno pro Beneficio spirituali consequendo non inducunt simoniam, ita *Abb. in d. cap. tua nos num. 1., ibique Anan. num. 3., Butr. num. 4., Fagnan. num. 31.* secus autem si sit indignus, & hujusmodi preces porrigeret, aut preces essent importunae, absque dubio simoniam committeret, dum non gratis accipitur munus, quod petenti donatur, juxta *glass. in cap. Et si questiones verb. non petenti de simon.* *Abb. in cap. per inquisitionem de elect. num. 5. gloss. in cap. tuam de etat. & qualitat., ibique Abb. num. 3.* quam citat *Fagnan. ubi supra n. 32.* addens hanc distinctionem procedere quoad Canonicatus, & alia Beneficia simplicia, secus quoad majora Beneficia, scilicet Prælaturas, & Episcopatus, in quibus

quibus se nemo ingerere debet, juxta
*Text. in cap. qualiter de elect. cap. iam du-
dum de præben.*

ARGUMENTUM.

Præsentatio facta à Patrono cum pacto, ut
Beneficiatus de fructibus Beneficii ei
solvat certam pensionem, an sit simo-
niaca?

SUMMARIUM.

- 1 Patronus ali, & sustentari debet de fru-
ctibus Beneficii.
- 2 Patronus si in actu præsentationis deducat
in pactum pensionem modici valoris, an
committat simoniam, & num. 11.
- 3 Sacerdos recipiens pecuniam, ut celebret
Divina, Episcopus remittens Jura Epi-
scopalia pro annua pensione, Abbreviato-
res, & Plumbatores exigentes pecuniam
pro confirmatione Episcoporum, an com-
mittant Simoniam? & num. 12.
- 4 Patronus in casu inopia, aut quando pen-
sio est apposta in limine fundationis, po-
test eam in pactum deducere absque simo-
nia, & quare! Vide ibi, & intellige
ut ibi.
- 5 Patronus non inops in actu præsentationis
potest deducere in pactum pensionem sub
expressa reservatione Beneplaciti Aposto-
lici absque simonia.
- 6 Præsentatio est Simoniacæ, si Patronus non
inops in actu præsentationis deducat in
pactum pensionem purè, & simpliciter, &
num. 9.
- 7 Non potest quis reddere Ecclesiam censua-
lem ad effectum, ut ipse, vel ejus filii, aut
nepotes præsententur à Patrono.
- 8 Consuetudines, aut Statuta extra funda-
mentalibus exigendi aliquid à Patrono in
actu præsentationis sunt reprobata.
- 10 Præsentatio facta cum pacto, ut Præsentatus
teneatur docere grammaticam, aut
curare Infirmos est Simoniacæ.

CASVS IV.

Præsentavit quidam Patronus Dives ad
Beneficium A. Titium, pacto tamen, &
conditione expressa, ut ipse Titius, post-
quam institutus fuerit, ei solvat certam
pensionem de fructibus ejusdem Benefi-
cii, queritur an hujusmodi præsentatio sit
Simoniacæ!

- 1 Rescribendum videtur præsentationem

hanc non esse simoniacam. Valet enim
Patronus ali, & sustentari de fructibus
Beneficii vigore dispositionis *Text. in
Can. quicumque 16. quæst. 7.* de quo
Part. I. Can. III. Unde Patronus si in actu
præsentationis Titii ad Beneficium de suo
jurepatronatus apposuit pactum, & con-
ditionem, ut Titius de fructibus Benefi-
cii ei solveret certam pensionem, non
proinde dici potest præsentatio hæc si-
moniacæ, quia ipse Patronus deduxit in
pactum, & conditionem id, quod sibi de
jure deberetur, & onus illud, ad quod Be-
neficiatus de jurepatronatus tenetur, jux-
ta auctoritates superius relatas *Cas. II.
n. 2., & seq.*

- 2 Quod multo magis procederet, si pen-
sio in pactum deducta esset modici valo-
ris e. g. esset quatuor, vel quinque obu-
lorum, aut unius candelæ; Hoc enim ca-
su non præsumeretur Patronus se movere
ad præsentandum pro dicta parva pen-
sione tanquam pretio præsentationis, sed
potius illam exigere in recognitionem ju-
rispatronatus, dum non est verisimile,
quod propter hujusmodi, modicam pen-
sionem Patronus moveatur ad aliquod
iniquum faciendum, ad *Text. in cap. et si
quæstiones de Simon. ibique gloss. verb. mō-
dici pretii Gonzal. in cap. 1. de Simon. nu. 8.
Fagnan. in cap. tua nos de Simon. num. 39.
Lambertin. de jurepat. lib. 1. par. 2. qu. 4.
art. 3. n. 3. in fin.*
- 3 Et probatur paritate; Sacerdos po-
test recipere pecuniam, ut celebret Divi-
na, Episcopus potest remittere jura Epi-
scopalia pro annua pensione absque simo-
nia, juxta *Text. in cap. Constitutus ibique
gloss. de Relig. Domib.; Abbreviatores, &
Plumbatores hic in Curia ingentem pec-
uniarum summam exigunt pro confirma-
tione Episcoporum absque labe simoniæ;
Ita etiam Patronus pro præsentatione po-
terit exigere à præsentato annuam pen-
sionem absque simonia.*

Hæc omnia suadere videntur præsen-
tationem Patroni factam cum pacto, &
conditione, ut præsentatus solvat ei cer-
tam pensionem non esse simoniacam, sed
pro clara resolutione hujus quæstionis
tres distinguo casus.

- 4 Primus est, quando Patronus est inops,
vel quando pensio fuit reservata de con-
sensu Ordinarii in limine fundationis Be-
neficii;